



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Sent. v. Pater sancte, serua eos in nomine tuo &c. xlvij.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

currunt, & per seipsum Patri offerens, Deo mundum
reconciliant.

SENTENTIA IIIII.

Tui sunt: & mea omnia tua sunt: & tua mea sunt.

PARACLESIS.

Sicut antea dixerat, Tui erant, & mihi eos dedisti: CAPVT
Sua nunc dicit, Tui sunt: & mea omnia tua sunt. XLVII.
Operatam sententiam, & omnibus modis, ut ample-
ctetur, dignam. Ego, inquit, rogo pro meis discipulis, &
pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: &
commendo eos tibi Patri meo caelesti, ut suscipias eos in
tuam tutelam. Neque verò eos tibi commedo tanquam
alienos, sed ut proprios: quia tui sunt. An tuos deserere
poteris? Scriptum est enim, Dominus non derelinquet
sanctos suos: in aeternum conseruabuntur. Cogitabimus Psalm. 36
ergo nos in omni afflictione nostra, & praesertim in mor-
tis periculo, non alienos, sed Domini esse, sanguine Chri-
sti redemptos, & propter Christum in filios & Regni
caelestis heredes adoptatos: Deum autem pro sua Boni-
tate nunquam nos deserturos, sed in omnibus periculis
conseruatuos esse. Audi Esaiam hac de re concionan-
tem: Montes comouebuntur, & colles contremiscent Esai. 54
misericordia autem mea non recedet à te, & foedus pacis
mea non mouebitur: Dixit miserator tuus Dominus.
Quare Deo confidamus, omnesq; curas in eum conijcia-
mus: ipse enim sollicitus est nostri. 1. Pet. 5.
Psalm. 54

SENTENTIA V.

Pater sancte, serua eos in nomine tuo, quos dedisti
mihi, &c. Quos dedisti mihi, custodiui: & ne-
mo ex eis periit, nisi filius perditionis.

Q

PARA-

PARACLESIS.

CAPVT
XLVIII.

Quoniam mundus hic plenus est laqueis, orat D. N. Iesus Christus, ut Pater celestis discipulos suos, virtute nominis sui conseruet in bono, ne deficiant: ut seruet eos ab omni malo ne corruant: Et cum ceciderint, ut supponat manum ne collidantur. Hec enim omnia à diuina pendent munificentia. Sed aduerte, quod si petierit, ut à Deo patre seruentur, ipse id se fecisse affirmat: aequalis se virtutis cum Patre demonstrans. Perro conseruasse ita discipulos ait, ut nullus eorum prae perditionis filium perierit: ita vero Judam appellauit proditorem, quia prauitate perit sua. Itaque diuina gratia, quae difficilia facilia facit, necessario indigemus. Nostra enim vis, nisi diuinitus sustentetur, nulla perstus est: quod Psalmista confirmat, dicens: Nisi Dominus edificauerit domum, in vanum laborauerunt qui edificant eam. Nisi Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Quare necesse est, ut iugiter magnoque animo ad acquirendam salutem studeamus: & opem Dei, qua protegamur, orando petamus, cuius auxilio facile aduersarij vires superabimus.

Psal. 36.

Cyrill. lib. 11.
cap. 23. in
Ioannem.

Psal. 116.

SENTENTIA VI.

Pater, sanctifica eos in veritate. Sermo tuus
veritas est.

PARACLESIS.

CAPVT
XLIX.
Exod. 24.
Heb. 9. 10.

In veteri Testamento sanctificabatur populus per asperionem sanguinis vitulorum. At qui haec non erat vera sanctificatio: impossibile enim erat sanguine taurorum & hircorum auferri peccata. Ideo Christus in hunc mundum veniens, & carnem de carne nostra vere suscipiens,